

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0523

0521

0527

0517

0532

0512

0572

0472

0622

0422

1022

0022

Ende

Anfang

508

De recessu peregrinorum a monte Synai et de tribulationibus, exactionibus et vexationibus passis ante eorum egressum et regressum in desertum.

Vicesima septima die ante lucem surreximus et Missas in nostra capella celebravimus, quibus celebratis in ecclesiam S. Catharinae descendimus et indulgentias (††) in capella beatae virginis ad Rubum et ad beatae Catharinae sepulchrum accepimus et locis sanctis deosculatis licentiam repatriandi a S. Catharina accepimus et in locum nostrum ascendimus et ad recessum nos disposuimus. Cum difficultate autem a monachis obtinuimus, quod utres de cisterna monasterii repleremus aqua. Est enim in ipsa curia grandis puteus et altus valde, habens aquas ex fundo emanantes et non ex pluviosis confluentes, quod tamen numquam in aliquo loco orientis vidi, nisi ibi. Dicunt autem, Moysen hunc puteum fodisse et orationibus aquas emanantes penetrasse pro populi Israel solatio. Hanc autem artem fodendi puteos Moyses in Aegypto didicit, quia dicit Plinius de Naturali Historia, quod Danaus, Beli filius, primus puteos in Aegypto fodit et inde navigans in Graeciam idem similiter fecit et ab ea in alias regiones notitia haec devenit.

Videntes autem Arabes, quod ad recessum nos disponebamus, misit capitaneus eorum ad nos famulum, avisans nos, ne egredi de loco nostro praesumeremus, nisi prius ei satisfactum esset. Post multas ergo placitationes aliquos ei ducatos dedimus et liberatos nos aestimavimus et camelarios expectavimus, qui diu tardabantur. Tandem autem venit unus, camelos esse praeoccupatos ab armatis, nec dimittere vellent, nisi pedagium pro eis solveremus. Et conventione facta cum eis pecunia camelos redemimus. Venerunt etiam asinarii, dicentes, asinos esse conclusos a paganis et non nisi pecunia redimendos. Sic ergo bursas continue apertas habuimus, quod necesse fuit ad redendum nos a vexationibus. Misit interea pater monasterii ad nos conquerens, quod aliquis de nobis de tomba S. Catharinae particulam ferreo instrumento abscidisset, quam si voluntarie restituere tardaremus, ad statim coacti per Arabes, quibus caussam committere

